

مركز الخدمات والبحوث الثقافية

صندوق البريد ٥٠٨٣ / ١٤

بيروت - لبنان

(٨٢/١٨)

سلسلة فهرس المكتبات الخطية النادرة

فهرس المخطوطات الشرقية

بمكتبة اكايمية لوجدوني - باتافيا

من عمل


ديجوي و هوتسما

الجزء الاول

ليد١٨٨٨

CATALOGUS
CODICUM ARABICORUM

Bibliothecae Academiae Lugduno-Batavae.



CATALOGUS
CODICUM ARABICORUM

BIBLIOTHECAE ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

EDITIO SECUNDA


AUCTORIBUS

M. J. DE GOEJE ET M. TH. HOUTSMA.

VOLUMEN PRIMUM.



LUGDUNI BATAVORUM
APUD E. J. BRILL.
1888.



PROLOGUS AD EDITIONEM PRIOREM.

»Bibliothecae Codicum Orientalium Lugduno-Batavae praestantia inter Belgas exterasque nationes ab aevo summis laudibus celebrata est, eaque ab omnibus eruditis inter maxima hujus Academiae ornamenta merito censetur. Nam licet illam nonnullis illustrissimis Bibliothecis, Parisiensi, Oxoniensi aliisque librorum numero inferiorem esse fateamur; at Codicum tamen et veterum et rarissimorum, et in omni denique disciplinarum genere summo cum studio conquisitorum varietate adeo instructa est, ut hac in parte, quae istam superent, nullae, quae aequent, paucae esse videantur" 1).

Singulorum horum Codicum historia deficientibus documentis adeo obscura est, ut, quum plurimorum fata prorsus ignorentur, perpauca tantum, ad unum alterumve Codicem spectantia, enarrari possint. Haec tamen quamvis pauca, maximam partem ex epistolis Golianis desumta, pretio suo non prorsus carere arbitror, et gratius literarum Orientalium cultoribus fore suspicor, si fragmentaria quaedam quam si nihil accipiant. De Hebraeis Codicibus, in Bibliotheca seorsum positus, non agam; horum enim Catalogum conficere nec Hamakero, nec Weijersio, nec mihi propositum fuit; quem laborem, absoluto reliquorum Orientalium Codicum Catalogo, docto Judaeo demandari, quod jam suasit Weijersius, utilissimum erit 2).

Codices Orientales, in Bibliothecam primi illati, sunt ex Legato

1) Sunt verba Hamakeri initio Praefationis *Speciminis Catalogi*.

2) Anno 1854 Jaynboll, Interpres legati Warneriani, Curatoribus commendavit hunc laborem committere viro doctissimo M. Steinschneider. Catalogus ab eo factus prodit anno 1858. d. G.

Josephi Justi Scaligeri, qui anno 1609 diem supremum obiit. In pluteis nostris collocati sunt post Golianos, eorumque series est inde a n. 212 usque ad n. 268. Haud ita multos bonae notae libros continet Legatum Scaligeri, qui Codices suos, partim ex Oriente, partim ab amicis Europaeis acceperat.

Accesserunt deinde multi praestantes Codices, a Goho in Africa, Aëlis et Constantinopoli coëmiti. Jacobus Golius²⁾, anno 1596 Henrici Comitum natus e gente Leidensi antiqua et nobili²⁾, Erpeniique institutione linguarum Orientalium cognitione inabutus, Marochium se contulit anno 1622 una cum legato ab Ordinibus Generalibus misso³⁾, hortante Erpenio qui, ut verbis Gronovii

1) Omnia fere quae de vita Golii innotuerunt, continentur oratione, lectu dignissima, Jo. Frid. Gronovii, c. t. *Laudatio funebris Jac. Golii*. Lugd. Bat. 1668; ex quo libello pleraque hausta sunt quae de Golio leguntur in Baylii *Dictionnaire historique et critique*, et in opere c. t. *Biographie universelle* (cujus articulus de Golio Jacyuum habet auctorem).

2) „Priscae simplicitatis rhythmus olim canitur,” ait Gronovius (p. 6), „fuisse tempus indicans, quo salus hujus urbis tribus familiis accepta referretur.”

Soo daer niet waren de Goolen, de Coolen en de Garbijuen,
De Stadt Leyden die soude verdwijnen.

3) Gronovius et Colomiés, *Mélanges historiques*, cujus verba jam citarunt Morenius et Baylius. In nullo ex libris nostris historicis mentio est hujus legationis Marocanae. Eodem quidem anno 1622 Cornelius Pijnacker, juris professor Groninganus (de quo vid. *Effigies et vitae professorum Academiae Groningae*, Gron. 1664, p. 63 sq.; *Alma Acad. Leid.* p. 103 sq.; *Fortsetzung und Ergänzungen zu Jöchers Gelehrten Lexicon*, VI, col. 1083), ab Ordinibus missus est Algerium et Tunetum (vid. *Resolutiën van Holland*, 12 Mei 1622, p. 93, et imprimis Aitzema, *Saken van staet en oorlogh*, I, 148 sqq., qui multa et notabilia de hac legatione memoriae prodidit); sed Pijnackerum Golius comitatus non est. Statuit hoc quidem Nobil. Collet d'Escury (*Holland's roem in kunsten en wetenschappen*, III, Aanteekeningen, p. 382), sed quominus hanc aententiam amplectamur obstant haec: non apparet, Golium illo tempore aut Algerium, aut Tunetum accessisse, nec apparet, Pijnackerum Marochium adiisse; itaque alter alterum non comitatus est; certum est praeteres ex Aitzemae accuratissima narratione, Pijnackerum in patria fuisse reducem mense Aprili anni 1623 (v. Aitzema, p. 150 col. 2), quum contra epistola, ad Golium data et a me (Catal. p. 161 sq.) edita, Golium adhuc die 28 Februarii anni 1624 in oppido Saffi commorasse ostendat. Dubium tamen non est quin Golius cum legato (cujus nomen ignoro) Marochium profectus sit; patet hoc ex epistola Arabica quam infra dabo. [Nomen hujus legati fuisse Albert Rujil probavit Doct. M. Th. Houtama in dissertatione utilissima c. t. *Uit de oostersche correspondentie van Th. Erpenius, Jac. Golius en Lev. Warner. Eene bijdrage tot de geschiedenis van de beoefening der Oostersche letteren in Nederland.* (Uitgegeven door de K. Akad. v. Wetensch. te Amsterdam. 1887), p. 26. d. G.]

utar, »intellexerat unum sibi deesse, quod terras, in quibus viget atque in usu habetur Arabismus, non incoluisset, non accessisset." Golius, »cum praecipuis" (sunt verba Gronovii) »et in aula et per collegia sapientum viris congressus, et ab iisdem, quod suarum rerum partim jam egregie scientem partim belle curiosum viderent, hilare et amanter acceptus, librosque complures adeptus in Europa nondum visos," plerumque degisse videtur in oppido Sati, in litore Oceani Atlantici sita. »Nactus regni et Marocensis et Fessani annales antiquos," — librum Ibn-abî-Zeri vult Gronovius, quem, a Ci. Tornberg editum, *al-Kartâs* appellare solemus cujusque exemplar exstat revera inter Golianos Codices — »ad eorundem translationem animum adiecit, simulque quae posteriorum temporum essent, ut Seriforum originem, vitas, res gestas, et in his plurima minime antehac cognita collegit adeo diligenter, ut in magnam molem exereverint." Codices illi Marocani, a Golio suo sumtu collecti et postea pro nostra Bibliotheca emti, pretiosissimis rarissimisque quos hic habemus annumerandi sunt, singulorumque historia illustratur ex fasciculo epistolarum Golianarum, de quo Kcisius ¹⁾: »Habuit quoque idem Jo. Heymannus volumina duo ²⁾ epistolarum varii generis, praesertim Turcicarum et Arabicarum, quas ad se scriptas Erpenius et Golius ex Oriente acceperant. Multum laboravi ut eas nanciscerer. Sed ab hodierno possessore, qui uti thesauro suo nequit, impetrare non potui." Hoc epistolarum volumen, ex Bibl. Schultensiana emtum, nunc Codicibus nostris Orientalibus adjunctum est, numero 1228 insignitum, hujus Catalogi (I, p. 161) n. CCLXXVII ³⁾.

Anno 1624 Golius in patriam rediit. Erpenio mox pestilentia contacto, »Jacobus Golius, contagionis metu amoto, ex ore dilecti praeceptoris, quid de imperfectis operibus suis fieri vellet, excepit; neque officii quicquam omisit, quod parenti suo praestare quisquam

1) *Prodidagmata*, p. 233.

2) Nunc unum est volumen.

3) Epistolas, quas speciminis instar hic inseruit Dozy, omisi, quippe denuo cum versione et notis editas a Doct. Houtma l.l. p. 28—33. Illa quae speciminis instar data fuit in descriptione Codicis 1228 (Catal. I, p. 161, hujus editionis p. 203) legitur apud Houtma p. 24 seqq. Nomen auctoris priorum etiam nunc latet, sed secundum Houtma p. 33 erat Judaeus Hispanicus qui in Marochiam refugerat. d. G.

potuisset 1).” Erpenius inter suprema mandata et cygneas cantiones ut unico cathedra sua digno successori suffragatus est: qui nos ordinant, nihil contationis interposuerunt, Jacobum Golium Arabicæ Linguae Professore[m] declararunt 2).”

Reliqueras Erpenius libros nonnullos, cum arte tam manu exaratos, quarum Catalogus Oratio[n]i adjunctus est, statim ab Erpenii exsequiis a Gerardo Joanne Vossio in auditorio theologic[o] habitas. Arabici Codices numero erant 41, Persici 10, Turcici 5 (quibus alii quidam libelli accedunt). Syriaci 7, Indici, Chineses et Aethiopici 11. Hanc suppellectile[m] literariam Academiae servare cupiebat Golius. Curatoribus itaque declaravit, se docendi munere fungi non posse, nisi libris tam arte quam manu exaratis instructum, ab Erpenio summo cum studio et magnis sumptibus comparatis; inter Erpenii suprema mandata hoc fuisse uxori datum, ut Academiae Curatores reliquis emturis praeferret; addebat, externos mercatores libros illos pro Pontificis Romani Nuntio emere se velle professos esse, verum Erpenii viduam illos Curatoribus vendere malle, et 4000 florenos poscere, pecuniae summam qua ipse Erpenius libros aestimaverat quamque ita solvi optabat vidua ut mille floreni statim, reliqui deinde, et quidem milleni quotannis per tres annos continuos solverentur. Curatores libros emere haudquaquam recusarunt, at deerat pecunia. Tandem quum commissi, qui dicebantur, consiliarii Ordinum Hollandiae et West-Frisiae timerent ne libri in exteras deferrentur regiones, Curatoribus libros emendi veniam dederunt, »ut Universitatis splendor ac fama conservaretur,» statutumque est ut mille floreni statim ex aerario publico solverentur, reliquorum autem 3000 florenorum alteram partem solveret aerarium publicum, alteram Academia 3).

1) Sunt verba Ger. Jo. Vossii in Oratione in obitum Erpenii, Lugd. Bat. 1626.

2) Verba Gronovii.

3) *Extract uit de Resolutiën van de Heeren Gecommitteerde Raden van de Staten van Holland ende West-Friesland, van dato den 17 Mei 1626* [Codices Erpenianos non pro nostra Bibliotheca esse emtos, et se nescire cur hoc factum non sit, testatur Siegenbeek; *Geschiedenis der Leidsche Hoogeschool*, II, p. 18. Est annotatio Dozyi in Emend. ad Catal. V, p. 135 ed. prioris. Quanam hujus rei fuerit causa docuit Houtsma l.l. p. 11 secundum acta Curatorum, e quibus patet non tantum aotum fuisse de Erpenii Codicibus, sed imprimis de typographia Erpeniana quam postea

Putaveris itaque omnes Codices Erpenianos in nostra Bibliotheca asservari, Golianis admixtos; sed collato Catalogo, Vossii orationi subjuncto, contrarium apparet. Desideramus v. e. duo exemplaria al-Djauharîi Lexici, alterum Bagdâdi exaratum anno Hidjrae 673, alterum quatuor (quorum secundum deërat) voluminibus in 4^o constans; desideramus porro septem volumina Historiae Universalis a Mirkhondo conscriptae, versionem Turcicam at Tabarîi, verbo, omnes Codices qui alicujus erant pretii. Nonnulli Codices Erpeniani (si non omnes) in Bibl. Cantabrigiensem, nescio quomodo, immigrarunt. In illa enim asservatur exemplar Dîwâni Amro-'l-kaisi, quod, teste Reiskio in Prologo ad Tharapham (p. xxvi), olim Erpenii fuit; in eadem bibliotheca asservatur exemplar Historiae Ibn Batrîki, ad cujus calcem adjectus est liber de Siciliae Historia, a Gregorio editus (cf. de hoc libro auctores laudati a César Famin, *Invasions des Sarrazins en Italie*, I, p. 166 sq.), qui in Erpenii Catalogo sic describitur: »Historia Ecclesiastica Saidi fil. Patrici Patriarchae Alexandrini, à conditu mundi, ad ejus usque tempora; id est annum Christi 940. in 4. *Cuique annexus est* Ejusdem [falsum est hoc] liber de rebus Siciliae, postquam a Saracenis capta est. 4.»

Mox Golius a Curatoribus petiit ut sibi iter in Orientem suscipere permitterent. Non tantum data est haec venia, sed praeterea statutum est ut annum professoris stipendium ei in itinere versanti solveretur. Die itaque 13 mensis Novembris anni 1625 valedixit Curatoribus et Burgomagistris ¹⁾, a quibus, Halebi quum esset, veniam petiit libros quosdam Orientales rariores sumtu Universitatis emendi. Sumtibus nimis parcentes ²⁾, concesserunt ei Curatores 1200, aut 1500, aut maximum 2000 florenos libris emendis impendendos ³⁾. Unam epistolam inveni, Halebi scriptam, in qua

Elzevieri emerunt. Quum enim constaret hanc suppellectilem in urbe Leidae mansuram esse, nulla amplius erat causa quare ex aerario publico vel academico magni illi sumptus essent faciendi. Sed pecunia semel concessa mox ex parte Golio data est ut in Oriente libros coëmeret. d. G.]

1) *Resolutiën bij Curateuren ende Burgermeesteren genomen op den 13 Nov. 1625.*

2) Nescio quomodo Gronovius (p. 16) dicere potuerit: »in libros insignes emendos opulentus sumptus decretus.» etenim ex documentis contrarium patet.

3) *Dezelfde Resolutiën, 10 Aug. 1626.*

de nonnullis Codicibus sermo est. Conscripta est a Golio caractere *neshhi* et in parte reversa exstat eodem caractere exaratum responsum Dawischi Ahmed ¹⁾.

Per unum annum et dimidium Golius Halebi commoratus est. Deinde »Antiochiam atque Syriarum civitates aditas contemplantur et Turcarum adversus Persas promotam castra in Mesopotamiam usque comitatus est. Phylarchi et reguli Arabum admiserunt eum familiariter, et ad medicinae experimenta ²⁾ suspexerunt, quodque mercedem recusaret, donis plurimis et pretiosis affecerunt; majeribus, ut secum maneret, sollicitarunt ³⁾." Asia minori peragrata, Constantinopoli apud Cornelium Hagam, Ordinum legatum, consedit; »incidit pestilentia: simul cum legato in Asiam transit, Praefecto orae Propontidos amoenissimos hortos cum amplissima bibliotheca eis cedente: in quo secessu in Historicorum et Geographorum Arabum scripta aut ignorata adhuc aut involuta se ingurgitavit." In patriam rediit mense Novembri anni 1629 ⁴⁾. Die enim 21 Novembris Curatoribus tradidit Catalogum librorum a se in Oriente coëmptorum. »Optime sane," sunt verba Hugonis Grotii in epistola Lutetiae d. 16 Sept. 1630 ad Nicolaum Peirescium data ⁵⁾, »de literis Orientis meretur Golius, qui tantam nobis librorum suppellectilem inde attulit, et laudabili audacia multo plus impendit, quam fuerat imperatum." Etenim praeter 2000 florenos quos impendendos ei permiserant Curatores, 1195 insuper florenos et octo stiveros erogaverat; quam pecuniae summam ei restituerunt Curatores eique insuper, ut bene de literis merito, 1200 florenos dono dederunt ⁶⁾.

Inter libros a Golio hoc itinere in Oriente et antea in Africa (hi enim etiam cum reliquis a Curatoribus emti sunt) coëmptos,

1) Epistolam et responsum denno edidit Houtsma p. 48 seqq. quapropter h. l. omitti posse censeo. d. G.

2) Arti quoque medicae operam dederat Golius; cf. Gronov. p. 10.

3) Gronovius p. 17.

4) Golium jam veris tempore rediisse, ostendit Houtsma, p. 47 ann. 1. d. G.

5) Grotii *Epist.* p. 90 b. Hunc locum illumque quem infra ex *Epistolis Gothanis* citabo, debeo benevolentiae venerandi senis H. W. Tydeman, viri clarissimi, qui patris sui annotationem ad Saxii *Onom. Liter.* mecum communicavit.

6) Resolutiën van Curatoren, 21 Nov. 1629.

quorum Catalogum anno sequenti (1630) edidit, praecasteris eminent Jâcuti Magnum Lexicon Geographicum, saepe ab ipso Golio cum in Lexico Arabico tum in notis ad el-Fargânum laudatum, et quo sine dubio usus erat ad componendum Lexicon, quod inchoaverat, »geographicum et historicum, in quo omnia locorum et hominum per Orientem nomina explicarentur¹⁾»; maximo tamen cum dolore hoc addo, hunc librum hic non amplius asservari. In primo Catalogo librorum »quos ex Oriente nuper advenit, et in publica Bibliotheca inclytæ Leydœnsis Academiae deposuit» Golius, nominatur (p. 1): »Thesaurus Geographicus Jacuti Albamavi, vol. IV;» in secundo Golii Catalogo n. 39 in folio est: »تجريد البلدان لياقوت الحموي. Thesaurus Geographicus Jacuti Hamataei, tomis 4,» et eadem prorsus verba leguntur adhuc in Catalogo Bibliothecae publicae anni 1674, ubi Jâcuti opus est n. 40 in folio. Sed in Catalogo anni 1716 hic liber notatus non est; jam tunc itaque in Bibliotheca nostra desiderabatur. Res mira; nam Curatores certo certius est librum omnium illorum qui a Golio coënti essent praestantissimum, non vendidisse. Quis itaque hunc Codicem, thesauris nostris jam adjunctum, ex Bibliotheca subripuit, et ubinam terrarum nunc servatur? Respondebo quamquam invitatus, nam Golii in literas Orientales nostramque Bibliothecam merita maximi facio. Hoc praemonere debeo, ex Catalogo, anno 1674, septem annis post Golii mortem, edito, non confici posse, Jâcuti librum illo anno adhuc in Bibliotheca nostra adfuisse; nam, ut jam monuit Cl. Weijers³⁾, Catalogus anni 1674, quantum ad Golianos libros attinet, fere nuda est repetitio Catalogi Goliani; fieri itaque potest ut jam anno 1674 liber desideraretur, nesciente Bootsio, Catalogi auctore, qui Catalogum Golianum ipsis libris fortasse non inspectis denuo excudi curavit.

Tria exemplaria operis Jâcuti in Europa adsunt. Havniensis Bibliotheca possidet exemplar duobus spissis voluminibus compactum, et Bibliotheca Musei Asiatici Petropolitani habet exemplar

1) Gronov. p. 20 sq.

2) Pro *تجريد* legendum est *تجريد*.

3) *Orient.* I, p. 300.

Bibliotheca Palmiana coëmti sunt 29 (1571—1599), tres tantum ex Bibliotheca Saeyana (1603—1605), quoniam Saeyi libri presuli culmen tenuerunt. Pulcherrimum fuit opus Reverendi Hooykaas Herderschec, versio scilicet Persica operis al-Tabarî, a Balanîo facta, qua aegre carebamus (1612). Addendi denique sunt libri coëmti cum ex Weijersii Bibliotheca, tum in auctione publica, Culenburgi habita mense Sept. anni 1848.

Numerum Codicum Orientalium nunc 1634 esse dixi; quod ita intelligendum est ut Codex ordine ultimus ille numero signatus sit; paucos enim Codices Hebraeos et Occidentales (Russicos v. g. in Legato Scaligeriano), contra morem Arabicis, Persicis, Turcicis caet. adjunctos, aptiori loco collocari curavi; sed, ne confusione locum darem, numeros non mutavi. Pauci praeterea Codices deperditi sunt. Reiskius, qui ab anno 1738 ad 1746 Lugduni Batavorum commoratus est, Catalogo suo adscripsit, deesse n. 181, 1571 in Heymanni Catalogo, ubi sic (inepte quidem, ut mox videbimus) describitur: «شرح ديوان ابن تميم», Comment. in poëmata Ben Temimi." Codicem deperditum esse censebat cum Hamakerus tum Weijersius. Teneo profugum, cujus fata enarranda sunt.

Quid Codex continuerit, patet quodammodo ex Heymanni Catalogo manu scripto, ubi haec (Cod. 1372, Vol. I, p. 567): »Liber admodum bene et cum omnibus vocalibus scriptus, et ab initio ad finem usque luculentissimis scholiis in margine locupletatus. Incipit sine *besmele* hoc modo: باب الحماسة, et in margine additur: اى فى العنبر. Additur quoque a commentario [sic] in marg. nomen authoris: مازن بن ملك بن عمرو بن تميم هو اخو العنبر بن عمرو etc." Haec tantum Heymannus, ex cujus verbis Cl. Weijers (in annotatione manu scripta ad Reiskii Catalogum), ad indicem, al-Hamâsae editioni Freytagianae adjunctum, provocans, confecit, deperditum Codicem continuisse Diwânium Mâzinidarum, qui ad Temimitas pertinebant. Hoc si admittimus, continuisset Codex collectionem antiquorum poëmaturum, a poëtis e tribu Mâzin compositorum, librum cujus alterum exemplar in Europa non adesset; rectissime itaque dixisset Weijersius, summopere dolendum esse, talem librum esse deperditum. Attamen minus recte de libri argumento judicasse mihi videtur Vir Clarissimus. Etenim nusquam

Lugduni Batavorum quum duplici docendi munere, linguarum scilicet Orientalium et Matheseos, fungeretur Golius, nonnulla opera, ad hanc potissimum disciplinam pertinentia, sibi describi curavit. Jam in Africa libros quosdam, unum v. g. de arte medica, c. t. *الكتاب المستعيني*, quem possessor vendere nolebat¹⁾, describendos curaverat; idem officium Halebi demandaverat eidem Derwischeo Ahmed cujus epistolam supra edidimus. Hic in Golii usum descripsit librum quintum, sextum et septimum Tractatus Apollonii de conis, a Thâbit ibn-Corrah Arabice versi; apographum absolvit, ut ipse in subscriptione testatur (habemus enim illud, numero 14 signatum, in quo Codice hoc opus primum tenet locum), feria sexta, die 15 mensis Dhu-'l-hiddjah anni 1036, i. e. die 27 mensis Augusti anni 1627, quo tempore Golium Halebi commorasse supra vidimus. Amstelodami autem duo erant Arabes Christiani, ar-Râwî (*الراوي*)²⁾ et Nicolaus, Petri filius,

punctum horae novae. L. B., apud Joannem du Vivie, 1696]. Patet ex illo, ut etiam vidit Cl. Gildemeister, qui hac de re ad me literas dedit, quid Jâcuti Codici acciderit. Eo scilicet tempore quo Golius diem supremum obiit, i. e. anno 1667, erat in hujus aedibus; mansit ibi, ipsius Codicibus intermixtus, donec Golii Bibliotheca, 29 annis post, venderetur, quo tempore et ipse venditus est, nam in Catalogo modo laudato legitur p. 2, inter libros in folio: *كتاب الثاني من معجم البلدان*, et tum enumerantur volumina tertium, quartum et quintum ejusdem operis. Culpa igitur incumbit iis qui tunc Bibliothecae praeerant, quique curare debuissent ne liber, qui emtionis jure in nostram Bibliothecam devenerat, venderetur. Sed tunc temporis nemo in nostra urbe erat, literarum Arabicarum vel mediocriter peritus. Haec enim studia, inde a Golii morte usque ad adventum Alberti Schultensii, i. e. ab anno 1667 usque ad annum 1729, neglecta jacuerunt [Cf. Siegenbeek, *Geschiedenis der Leidsche Hoogeschool*, I, p. 254 aq.]; unde etiam explicandam, quod ex ditissima illa collectione Goliana nihil pro nostra Bibliotheca emtum sit. Optimi et rarissimi Codices Goliani nunc sunt in Biblioth. Bodleiana, veluti *Dîwân al-Farazdaki* (p. 10, n° 20), *Ibn-Haiyân* (p. 14, n° 73), *Ibn-Basâm* (p. 11, n° 35), *Ibn-Qâhib aq-Qalât* (p. 11, n° 34). R. D.

Ceterum Codicem Bodleianum Jâcuti olim Golii fuisse, jam testatur Gagnier in opusculo de Codd. geographicis *Bibl. Bodl., Ma. Bodl. 263 (4) Nic. (Catal. II, p. 232)*. Conf. porro de hac re quae scripsit Doot. Houtama l. c. p. 54. d. G.

1) Dozy minus recte interpretatus est locum in epistola quam ipse edidit in *Catal. I, p. 161 seq.*, Houtama p. 28. Nam Codex libri *al-Mosta'în* quem Golius obtinuit, nunc *Cod. Arab. 15*, est valde antiquus, nisi quod partes deperditas supplavit manus recentior, jussu, ut probabile est, ipsius Golii. d. G.

2) Dozyum hic errasse luculenter demonstravit Houtama p. 80. Intelligitur enim vir notissimus Christianus Ravius (Rau), qui Nicolaum secum ex Oriente Amstelodamum allegerat promissis quae redux explere non poterat (Houtama p. 84). d. G.

quibus ad libros describendos usus est Golius. Ex Nicolai epistolis, Golianarum epistolarum collectioni insertis, apparet, duos illos viros Nicolaum et ar-Rāwī, infeste satie animo inter se fuisse. Describendum iis tradiderat Golius Apollonii exemplar (utrum apographum a Derwische Ahmed factum an alium Codicem, nescio; et in epistolis Nicolaus de ar-Rāwī queritur, *mendaciorum aevario*, خزائن الكذب (sic eum appellat) ¹⁾, Codicem legere nescienti, sed nihilominus contendenti, se Nicolao in Codice describendo opem ferre. Ubinam hoc apographum nunc servetur, nescio ²⁾; sed habemus alia apographa, facta a Nicolao, qui saepe Lugdunum Batavorum se contulit ut Golium, quo familiariter utebatur ³⁾ quique in lingua Latina addiscenda eum adjuvabat ⁴⁾, visitaret. Opera, a Nicolao in usum Golii descripta, continentur Codice 14. Pleraque eorum mathematici sunt argumenti, quumque inter ea inveniantur quae unica sunt in Europa, Golio Codicem unum pluresve commodatos esse ab Orientali quodam viro suspicor, quos, quum venales non essent, in Orientem remisit. Nicolaus ille, ut epistola docet, in usum Golii descripsit etiam librum Arabicum c. t. نصيحة الملوك, quem hic non habemus, sed Nicolai apographum servatur, ni fallor, in Bibliotheca Ultrajectina ⁵⁾; affirmat praeterea se in Golii usum descripsisse الصميري, quem ad-Damīrii librum de animalibus esse suspicor, promittitque opportuno tempore se descripturum رسالة اهل قبرص.

Libri Goliani primum locum tenent in nostra Bibliotheca (1-211 quibus addendus Cod. 1221 (*al-Fihrist*) qui Heymanni tempore pone reliquos Codices latuisse videtur); sequuntur Scaligeriani (212—268) et magna illa Collectio, Legatum Warnerianum dicta (269—1199).

1) Houtsma p. 92 خزائن الكذب. d. G.

2) Nunc in Bibliotheca Bodleiana (v. Houtsma p. 85). d. G.

3) In epistola quadam salutem mittit Golii uxori liberisque, Idas, Theodoro et Matthiae.

4) Petit a Golio Moslimorum historiam (تاريخ المسلمين), Arabice et Latine scriptam, ut inde vocabula discat Latina. Liber ille Elmacini videtur historia, ab Erpenio edita.

5) Est ibi Cod. 88 (v. Catal. Leid. 1a edit. V, 272). d. G.

Levinus Warner Golii erat discipulus. Anno 1644 Constantinopolin profectus est ¹⁾, et quum anno 1655 Ordinum Generalium Minister Constantinopolitanus mortuus esset, cui nomen Gisberti, ei successit Warnerus, »vir doctus, in ea urbe degens ut linguas Orientales addisceret" ²⁾. Quo modo singulos Codices nactus sit Warnerus declarare non possum, nam nihil hac de re annotatum reperi ³⁾; emisse illos videtur a bibliopoli Constantinopolitanis; qua in re eum indefessa diligentia versatum fuisse, nec sumptibus pepercisse ut exquisitam et splendidam supellectilem sibi compararet, ex ipsa collectione satis superque patet, neminemque harum literarum peritum fugit. Optime autem de nostra Bibliotheca et de literis Orientalibus meritus est vir ille pie semper colendus, qui omnes Codices suos Orientales Bibliothecae Lugduno-Batavae reliquit. Libri hic jam aderant ineunte anno 1669 ⁴⁾.

Sic igitur saeculo decimo septimo, sexaginta annorum spatio, fere mille et ducenta volumina Orientalia, praeter Codices Hebraeos, in Bibliothecam illata sunt cum Golii diligentia, tum Scaligeri et Warneri liberalitate, »quos si in tot tantisque thesauris Academiae nostrae vindicandis pari studio atque industria secuti essent posteris; nae illa, quam aequi harum rerum arbitri jam inter paucas magnam esse censent, eadem hoc tempore omnium omnino Regina Bibliothecarum Orientalium sine ulla dubi-

1) Vide Praefationem ad Warneri opus c. t. *Proverbiorum et sententiarum Persicarum centuria*, anno 1644 editam, quo etiam prodiit *Levini Warneri epistola valedictoria in qua inter alia de Stylo Historiae Timuri*. Scripta est ad quinque juvenes, qui in addiscendis linguis Orientalibus Warneri opera usi erant, et libello adjuncta est »Joannis Schildii ode propemptica ad Levinum Warnerum, iter Constantinopolitanum ingressurum." Gronovius (p. 24) Golium »Warneri absentiam incredibili contentione ac labore propugnasse et nullas pro ea sollicitudines refugisse" affirmat.

2) Sunt verba Aitzemae, *Saken van staet en oorlogh*, III, p. 1172.

3) Unum et alterum de origine Codicum reperit Doct. Houtsma l. c. p. 107 seqq., inter alia, nonnullos oriundos esse e bibliotheca celeberrimi bibliographi Hâdjî-Khalffa. Plurimos Codices olim fuisse e libris J. van Hill, Warneri fere aequalis, notum est, sed quis hic fuerit et ubi Codices acquisiverit adhuc latet. Vid. Juynbollii annotatio ad *Catal. Codd. Hebr.* p. XII seqq. et Houtama l. l. Ipsius Warneri vitam paucis illustravit Doct. W. N. du Rieu in prologo ad »Levini Warneri de rebus Turcicis epistolae ineditae," quas edidit anno 1883. d. G.

4) *Resoluitien van Curatoren*, 1669.

tatione existimaretur" 1). Per totum enim saeculum decimum octavum, ad annum 1780 usque, numerus Codicum non nisi ad 1221 crevit; tam autem, fere e sola Joannis Jacobi Schultensii privata bibliotheca, tot coëmiti sunt ut numerus existeret 1302. qui tandem nostra aetate et quidem recentissimo tempore (fere ab anno inde 1820) diversis opportunitatibus tam insigniter auctus est ut nunc 1654 Codices Orientales, praeter Hebraeos, numerentur. Summopere dolendum est, praeter tria volumina Lexici Biographici c. t. *al-Mokaffá*, quae ipsius auctoris, al-Makrízí, manu exarata sunt et de quibus alibi 2) retuli, nihil emtum esse ex Bibliotheca Scheidii, amplissima quam homo privatus hisce in terris possederit unquam 3), et Schultensiana bonorum librorum copia longe ditiori. Sed temporibus patriae calamitosis divendita est, mense scilicet Martii anni 1806, et pecuniae penuria tunc afflicta fuisse videtur Universitas. Postea perpauci libri Scheidiani ex aliis bibliothecis coëmiti sunt.

Reliqui Codices aut emtionis jure aut nonnullorum liberalitate Bibliothecae nostrae accesserunt. Sic, ut potiora tantum enumerem, tres (1304—1307) emti sunt ex Bibliotheca Guilielmi Ouseley; 21 (1314—1334) oriundi sunt ex Bibliotheca Societatis Indiae Orientalis; quatuor (1339—1342) dati sunt ab Humberto; sex (1343—1348) emti sunt ex Bibliotheca Schroederi; pulcherrimum Ibn-Khalduni exemplar (1350) Tuneti emtum est anno 1828, Hâdjí-Khalifae (1370 et 1371) Constantinopoli; quatuor Codices (1389—1392) dati sunt a Cl. Changuion, Professore in Promontorio Bonae Spei; ex Hamakeri Bibliotheca omnia fere coëmita sunt quae aliojus sunt momenti. Accesserunt quoque 82 Codices, Halebi collecti a Nobil. Testa, qui eos Bibliothecae vendidit. Eorum pars (1435—1454) Halebo missa est anno 1837; reliqui (1508—1569) mense Aprili anni 1839 Bibliothecae adjuncti sunt. In his Codicibus, quibus Testae nomen adscripsi, nonnullos esse rarissimos et utilissimos, ex hoc Catalogi volumine satis patere credo. Ex

1) Sunt verba Hamakeri in Praef. ad *Spec. Catal.*

2) *Notices sur quelques manuscrits arabes*, p. 8 sqq.

3) Hoc minus recte dictam esse, vix opus est ut moneam. Cf. quoque quae scripsit de Jong in Praef. ad *Catal. Cod. Or. Bibl. Acad. Reg.* p. XII. d. G.

itidem duobus constans voluminibus. Utrumque itaque vel ob voluminum numerum diversum a Goliano esse censendum est; Petropolitanum praeterea recentissimum est; anno demum 1809 exaratum ¹⁾. Unicum quod restat exemplar est Oxoniense, et jam statim animum advertit, hoc, ut Golianum, quatuor voluminibus formae maximae constare (Urii Catal. 928, 929, 932 et 933); sunt nempe quatuor postrema operis volumina; primum deest. Scriptum est annis 1471 et 1472 p. Chr. Venit in Bibliothecam Bodleianam ex Legato Narcissi Marsh, Archiepiscopi Armachani ²⁾. Marshio autem exemplar nostrum a Golio esse venditum, quum Codicis pretium a Curatoribus jam accepisset, statuere non aude- rem, nisi in Bibliotheca Bodleiana alios quoque Codices ex Marshii Legato oriundos vidissem, qui, ut ex adjecta annotatione mihi patuit, antea Golii fuerant ³⁾; nec aliter explicare possum quo modo Codex Jácuti ex nostra Bibliotheca evanuerit et in Marshii possessionem devenerit. Quodsi anno 1674 adhuc in pluteis nos- tris aderat, non Golius accusandus est, sed alius, nescio quis; sed certa mihi est persuasio, Codicem qui nunc Oxonii servatur, nostrum esse ⁴⁾.

1) V. Frähn, *Ibn-Foslan's Berichte über die Russen älterer Zeit*, p. XLVI sq.

2) De Narisso Marsh off. loci laudati in Indice ad secundam volumen operis Woodii, c. t. *Athenae Oxonienses*.

3) Golium omnes suos Codices Bibliothecae nostrae non vendidisse, patet e. g. ex epistola Jobi Ludolfi, literarum Aethiopicarum studio clarissimi, die 8(18) Martii anni 1650 ad Jo Ernestum Gerbardum data (in *Clar. virorum Epist. CXVII e Bibl. Gothanae autographis*, cum praef. Cypriani), in qua Ludolfus dicit „delicati- ores Hollandos libros suos aegre ab aliis contractari pati;“ quibus addit haec: „De D. Golio notum tibi esto, illum manuscriptos suos nemini fere commodare solere. Ego, quamvis ipsi diu notus, vix Psalterium Arab. Mss. impetravi; domi tamen suse libros suos aliis inspicere permittit. Unde tibi longo tempore et labore, multo etiam culta et obsequio opus erit, donec librum quendam ab ipso petere audeas.“

4) In Emend. ad Catal. V, p. 136 seq. Dozy sequentia annotavit: „Haec de Co- dice Jácuti scribens, nondum cognoscebam Catalogum librorum manu scriptorum Golii, qui anno 1696 venditi sunt. Etenim tunc hoc libello rarissimo carebat nostra Bibliotheca quem demum anno 1866 acquisivit. [Titulus est: Catalogus insignium in omni facultate, linguisque Arabica, Persica, Turcica, Chinensi etc. librorum MSS. quos Doctissimus Clarissimusque Vir D. Jacobus Golius, dum viveret Matha- sios et Arabicae Linguae in Acad. Lugd. Batav. Professor Ordinarius, ex variis Regionibus magno studio, labore et sumptu, collegit. Quorum auctio habebitur in Aedibus Johannis du Vivie, Bibliopolas. Ad diem xvi. Octobris St. Novo, ad

me legere memini, antiqua Mâzinidarum poemata in unum corpus fuisse collecta, et ejusmodi collectio etiam Hâdji-Elbalîfæ prorsus incognita fuit, in cujus Lexico bibliographico frustra talem librum quaeris. Praeterea, si verbis, ab Heymanno descriptis, auctor indicaretur, non Mâzinidae, sed ipse Mâzin. a quo Mâzinidae originem ducebant, carminum auctor Labandâs esset. Offendit vero, nomen poëtae a commentatore contra morem *in margine* esse scriptum, quum Arabes nomina poëtarum, quorum carmine referantur, textui inserere soleant. At illis Codicis verbis non *poëta* indicatur, sed *tribus genealogia* explicatur. Certum mihi videtur, Codicem non continuisse Diwânium Mâzinidarum, sed *al-Hamâsam* cum adjunctis scholiis. Incipiebat enim Codex, Heymanno teste, a verbis باب الحماسة, quae primo libro al-Hamâsae esse inscripta notum est. Primus porro versus al-Hamâsae est: لو كنت من مازن et quae sequuntur; in quibus igitur de ipsa illa tribu Temimica Mâzin sermo est, cujus genealogia in nota ista marginali explicatur. Compositus autem est hic versus a quodam poëta ex Balanbar, i. e. Benu-'l-Anbar, et idem illud in Codice erat scriptum, in cujus margine بلعنبر explicabatur per اى بنى العنبر; sic enim reponendum pro verbis istis, ab Heymanno corruptis, اى بنى العنبر. Nunc etiam intelligitur quam ob causam in altera nota marginali cognatio Mâzinum inter et al-Anbarum explicetur.

Hoc al-Hamâsae exemplar, cui scholia erant adscripta, inveni, non inter Golianos collocatum, sed inter Warnerianos, et plane alio quam oportebat numero signatum. Nimirum Codex 889 in Heymanni Catalogo, cum edito (ubi est n. 1570) tum manu scripto (Cod. 1372, t. V, p. 2001), ita descriptus est, ut eo solam *al-Bohtorî Hamâsam*, ab altera illa quam Abu-Tammâm collegit diversam, contineri, et Codicem illum 889 uno tantum volumine constare, luculenter appareat et omni dubitatione careat. In pluteis vero *duo* inveni volumina, numero 889 signata, quorum primum (889a), schedula illa, verba *Ex Legato Viri Ampliss. Levini Warneri* exhibente, qualis reliquis Codicibus Warnerianis agglutinata est, carens, continebat Abu-Tammâmi Hamâsam, scholiis instructam; alterum, Hamâsam al-Bohtorî. Consulo Reiskii Catalogum. En! Abrahami Gronovii manu uni illi Codici 889 (quem

solum Reiskius quoque cognitum habebat) additus est alter, et duo sic exstiterunt Codices, *a* et *b*, uterque numero 889 signalus. Quid infelici isti 181 acciderit, suspicor ex misero quo nunc est habitu; rubigine enim situque est obductus, et multa in eo jam non amplius legi possunt, dum praeterea primis et ultimis carot foliis, quo fit ut prima illa verba, ab Heymanno descripta, non amplius in illo exstent, et Codex a versu

كأن ربك لم يخلف لشيئته مسوايم من جميع الناس انسانا

qui septimus est al-Hamásae, incipiat. Reiskii tempore pone pluteum, in angusto latibulo, latuisse videtur; postea repertus, sed numero jam destitutus, Codici 889 propter tituli similitudinem adjunctus est. Ego quantocius Golianum illum Codicem vero et antiquo suo numero 181 signari curavi; per saeculum, vel quod excedit, pro deperdito habitus, nunc tandem denuo repertus est suoque gaudet loco.

Alter Codex, quem deesse suo Catalogo adscripsit Reiskius, est 642, qui duo opera continebat, unum in Heymanni Catalogo 659: «كتاب في الخلافات لابي صفص (حفص ا. عمر» (l. Hafé) Omaris quadruplex Nomocanon rhythmo expositus juxta quatuor sectas orthodoxas; alterum in eodem Catalogo 1314: «العوامل في النحو لعبد القادر» 1) Abdulcadir tract. Grammat. de centum Regentibus." 1)

Mense Octobri anni 1817, quo tempore Hamakerus Bibliothecae Codicum Orientalium praefectus est, deérant hi:

59i tomus primus. Vitae Medicorum auctore Ibn-abí-Oçaiibiah (Heym. Catal. 831).

73i tomus primus. Classes Scháfittarum auctore Ibno-'s-Sobki.

76, qui est 832 in Heymanni Catalogo. Totum Ibn-abí-Oçaiibiae opus uno volumine comprehensum.

1199. In Catalogo Reiskii confunditur cum n. 1099; verum ex erratis, Catalogo edito subjunctis (p. 491), apparere videtur,

1) Doct. Houtsma nuper detexit hoc exemplar opusculi Djordjánti non desiderari, sed errore olim in scrinio collocatum fuisse inter Cod. 300 et Cod. 301, deinde male numero 301 (a) esse instructum, ut distingueretur a 301, qui ideo 301 (b) inscriptus fuit. Est in ed. nostra n. CL (p. 89). d. G.

n. 1199 esse alterum volumen n. 1198, qui in Catalogo eodem n. 26 notatur est: »N. T. Syriace 2 voll. anno 1550 à Postelle Venetias delatum.»

1219—1221. In Gronovii ad Catalogum Reiskianum supplemento manu scripto, 1219 *Codex* vocatur. 1220 pannus sericeus, et 1221 sacculus coriaceus cum syngraphis. Jam ante nostram aetatem pro amissis habiti fuerunt 1219 et 1220; »quales tandem fuerint et quid continuerint,» ait Cl. Weijers (*Orient.* I, p. 326): »nunquam rescivi, *sacculum* vero istum *coriaceum cum syngraphis*, etiam dudum, ut videbatur, amissum, nuper e latebra productum recognovi, vidique lacerum ipsum situque obductum omnino nihil continere praeter chartulas per ludum factas aut magicas, Turcice scriptas, et plane indignas quae amplius servarentur.» Pro his itaque alios tres substituit Vir Cl.

1260, qui quid continuerit nescio.

Sunt inter hos Codices quibus facillime caremus, sed tres summi erant pretii. Quod ad tomum primum n. 73i attinet, fieri potest ut in funesta illa clade, qua die 12^o Januarii anni 1807 pars urbis nostrae eversa est, interierit una cum aedibus Ravii, hoc volumen tunc fortasse studiorum causa apud se servantis; quominus vero idem n.^{is} 59 et 76 accidisse conjiciamus, obstat, ut jam monuit Cl. Weijers (*Orient.* II, p. 178), »quod Saeyus in libro suo *Relation de l'Egypte par Abdallatif*, anno 1810 edito, non tantum (in p. 478 ann. 1) de *utroque* tomo Codicis 59 ita loquatur, ut certe non appareat, eum *solum posteriorem* Parisiis sibi commodatum habuisse, sed, quod majus est, etiam Codicem 76 (in p. 499 ann. 1) tanquam fontem commemorat, ex quo in illo opere vitam Ibn-Djoldjoli edidisset (p. 549—551). Nisi igitur statuatur Saeyus jam aliquot annis antequam librum suum ad finem perduxerit et typhothetae tradiderit, locos illos e Codicibus nostris, Parisios ipsi missis, descripsisse, hoc quidem argumentum manifesto probat, Codicem certe 76, et fortasse etiam priorem alterius tomum, circa annum 1810 adhuc exstitisse." 1).

1) Weijersii conjecturam, jam per se parum probabilem, falsam fuisse, probavit eventus; vid. Praef. ad edit. secundam. d. G.

Primus Catalogus Codicum Orientalium ¹⁾ prodiit anno 1623; descriptum est in eo legatum Scaligerianum, sed libri arte et manu exarati conjunctim et confuse commemorati sunt, Indexque imperfectus et mancus est. Anno 1630 Golius qui, ut diximus, anno proxime praecedente ex Oriente redierat, edi permisit Catalogum c. t.: *Catalogus rarorum librorum, quos ex Oriente nuper advexit, et in publica Bibliotheca inclytiae Leydensis Academiae deposuit Clariss. et de bonis artibus meritiss. Jacobus Golius, in illa eadem Academia, et Linguarum Orientalium, et Matheseos Professor insignis.* Parisiis, Excudebat Antonius Vitray, 1630. Numeri huic Catalogo nondum sunt additi. Decem annis post prodiit alter Golii Catalogus, qui cum separatus vendebatur tum adjungi solebat Catalogo Bibliothecae quem Dan. Heinsius anno 1640 edidit. Titulus est: *Libri Mss. Arabici et alii, quos pro Academia ex Oriente advexit Jacobus Golius. Ubi ex voto Philarabum atque in eorum usum praefigurantur genuini Librorum tituli.* In hoc Catalogo illi libri rursus commemorati sunt, Latinis quidem verbis plerumque iisdem, sed tantum non omnibus proprio suo nomine Arabicis literis praemisso, ac singulis etiam numero addito. Nonnulli Codices postea ab Heymanno male descripti, huc jam multo melius descripti inveniuntur. Sic v. c. n. 14 in folio his verbis in Catalogo Goliano secundo describitur: »Africani ejusdam eruditi epistolae, orationes et carmina. Item رحلة ابن سعيد العبدري. Itinerarium Ibn Saoudi Abderitae, qui iter instituit ab Haha in Telmesan et Aegyptum, ad visendos ejus saeculi clariores viros." Non accurata quidem est haec descriptio Codicis qui fragmentum ex Ibno-'l-Khatfbi Granatensis epistolarum collectione et Iter al-Abderfi continet, sed longe praeferranda est Heymannianae, qui vir, Arabico titulo non addito simpliciter dixit numerum 11 (numeri enim Goliani postea mutati sunt; in Heymanni Catalogo (p. 484) est n. 1846) continere: »Itinerarium 4 sociorum, script Mauri.", quum de quatuor sociis cogitandum non sit, quumque praeterea Heymannus primum quod Codice continetur opus silentio praeterierit.

1) De Catalogis antiquioribus jam egit Cl. Wejers in *Orient.* I, p. 297 sqq. Iis quae dixit Vir Cl. usus sum; quaedam de meo addidi.

Quum magnificentissimum Warneri Legatum Lugdunum Batavorum advenisset, Theodoro Petraeo et Sahin Candij, docto Armenio Christiano, a Curatoribus mandatum est ut eorum Indices conficerent duos, quorum alter titulos et auctorum nomina, alter singulorum operum eorumque contineret. Pro hac opera sic centum Rixthaleri concessi sunt ¹⁾. Solus Sahin Candij hoc opus deinde continuasse videtur ²⁾; duas vel tres, nonnunquam etiam quatuor horas quotidie Legato Warneriano ordinando impendit, a die 23 Aprilis inde usque ad extremum diem mensis Maji; accepit itaque a Curatoribus 250 florenos ³⁾. Quatuor annis post Academiae Rector Magnificus Bootsio ⁴⁾ mandavit ut *omnium* Codicum Orientalium Indicem conficeret, qui quum per sex menses huic labori incubisset, 315 florenos accepit ⁵⁾. Hic Bootsii Index adjunctus est Catalogo Bibliothecae qui anno 1674 auspice Frid. Spanhemio editus est. Quantum ad Golianos libros attinet, fere nuda repetitio est Catalogi Goliani secundi, sed tituli librorum ex Legato Warneri hic primum typis descripti sunt.

Heymannus deinde Catalogum confecit, quo omnes nostros Orientales Codices (Hebraeis tantum exceptis) descripsit. Habemus autographum. Constat sex voluminibus chartae quadruplicatae, paginis autem dimidiatis et crassiore calamo gravioribusque literis scriptis 2539. Severe sed juste de Heymanni amplis adversariis iudicavit Cl. Weijers, »in quibus,» ait, qui »praeclaram pro istâ aetate doctrinam, Arabicaeque et reliquarum linguarum accuratam cognitionem, iudicium porro in locis eligendis, et plus quam modicam in iis describendis exercitationem peritiamque expectasset, sane hunc misere sua spes frustraretur, cum nihil fere quam quo facillime caruisset, inventurus esset.» Ex hoc ampliore manuscripto excerptus est Index, quem Heymannus, adjutore usus Carolo

1) *Resolutiën van Curatoren*, 8 Febr. 1669.

2) Vid. Houtsma l. c. p. 68. d. G.

3) *Resolutiën van Curatoren*, 5 Aug. 1669.

4) N. Boot, Bremensis, vir doctissimus et polyglottus. Cf. Houtsma p. 55, qui addit Dozyum errasse, ubi de hujus Catalogo scripsit: »Quantum ad Golianos libros attinet, fere nuda repetitio est Catalogi Goliani secundi.» d. G.

5) *Resolutiën van Curatoren*, 8 Nov. 1673.

Schaafio, edidit, Catalogo Bibliothecae publicae adjunctum, qui, sub auspiciis et opera Wolpherdi Senguerdii et Jacobi Gronovii confectus, anno 1716 formâ maximâ prodit.

Non peior quidem est Heymanni Catalogus reliquis qui illis temporibus editi sunt; attamen tam innumeris scaturit mendis, ne de ejus brevitate dicam, ut nostro tempore, in tanta disciplinae luce, nulla ex parte satisfacere possit. Saeculo praeterito nihil ad meliorem Catalogum aliquando condendum, factum; Reiskii enim Index, quem manu ejus scriptum etiam nunc possidemus, brevi et imperfecto Heymanni Catalogo edito multo est brevior et imperfectior. Quum vero Hamakerus Bibliothecae esset praefectus, statim de meliore Catalogo conficiendo cogitavit; manum operi admovit, et anno 1820 notissimum et praeclarum illud edidit opus c. t. *Specimen Catalogi*, in quo tamen non plures quam 21 Codices descripti sunt. Plura non edidit; scripsit tantum (nec tamen absolvit) disertatiunculam de Codice *primo*, quam totam in hoc volumine edidi¹⁾; annotationes porro ad Reiskii Catalogum, numero quatuordecim, quarum singulae paucis constant versibus, una et altera tribus tantum quatuorve. Hae talia continent quae aut nunc non amplius nova sint, aut Codicem vel leviter insipienti statim appareant. Editio Specimine ad alios labores se applicuit Hamakerus, unde factum est ut post annum 1820 fere nullam amplius de industriâ operam posuerit in cognoscendis universis nostris Mss. Codicum thesauris detegendisque et corrigendis Catalogi editi erroribus²⁾.”

Destituerat itaque Catalogum Hamakerus, sed ab anno inde 1830 usque ad annum 1844, quo praematura morte disciplinae ereptus est, destitutas partes excepit Weijersius, et Catalogi specimen primo volumini operis, c. t. *Orientalia*, inseruit. Mortuo Weijersio ego Catalogi curam suscepi.

Ex iis qua Weijersius in primo Orientalium volumine dixerat, confeceram, novum Catalogum, cum ipsius, tum Hoogvlieti operâ Meursingiique (quibus viris doctis, nunc jam mortuis, adjutoribus usus est), jam insignes fecisse progressus, et ad perfectionem non

1) In hac altera editione omissa est. d. G.

2) Sunt verba Cl. Weijersii (*Orient. I*, p. 298).

nisi ultimam quasi manum et limam deesse. Spe frustratus sum: ad Catalogum condendum, qualem volebam et cogitabam, haud ita multa facta esse inveni. Quod ut pateat, declarabo quid ante me factum sit et quale meum fuerit consilium.

Duo imprimis volui: primum, ut ex Catalogo luculenter pateret quid singuli Codices continerent; alterum, ut dudum inchoatus ille et jam ante triginta annos promissus liber tandem ederetur; quod ut fieri posset, supervacanea omittenda erant; atioquin enim nostro Catalogo id acciderat quod aliarum bibliothecarum catalogis accidere vehementer dolemus; ubi enim de catalogo agitur, haud raro oratione tantum benefici sunt viri docti; stat nominis umbra.

Hamakerus in Specimine id potissimum egit, ut scriptorum vitas ex ineditis vulgaret auctoribus, versione et annotatione adjectis. Utilissimum sane institutum, quod Hamakerus docte, copiose, admirabiliter, ipsorum librorum descriptione non neglecta, exsecutus est, sed Catalogo minus accommodatum, quem bibliographici, non biographici argumenti esse jure postules. Nam vitae auctorum potius scriptionibus de historia literaria reservandae sunt, quarum locum tenere catalogi nec debent nec possunt; nimis enim frequentes catalogis insertae, locum librorum descriptioni praeripiunt, quod factum esse dolemus in Hamakeri amplo 250 paginarum volumine, quo 21 tantum describuntur opera. Fieri etiam non potuit quin in scriptorum vitis ex Codicibus Arabicis edendis Hamakerus saepe erraret, quandoquidem pauci tantum iique mendosi ei ad manum erant Codices. Nunc eaedem illae vitae, v. g. quae ab Hamakero ex Ibn-Khallicâne descriptae sunt, ab aliis viris doctis, totum Ibn-Khallicânis opus publici juris facientibus, ex longe pluribus et inter hos melioribus Codicibus editae sunt; quo factum est ut magna pars Speciminis, a viro egregio conscripti, jam nunc, haud ita multis annis elapsis, nullam fere amplius praebeat utilitatem.

Diversam rationem, eamque Catalogo magis accommodatam, secutus est Hamakerus in scriptione de Codice *primo*, qua fuse et copiose explicuit quid ipse liber contineat; quam, ut hujus voluminis maximum sit ornamentum, nunc primum edidi. Verum quod de priori ratione valet, valet etiam de hac: egregie, mag-

nifice praestitisse Hamakerum quae praestare vellet, omnes fatebuntur; simul vero judicabunt, rationem quam in uno Codice describendo secutus est vir summus, si in omnibus tantae quantae nostra est Bibliothecae describendis, aut ipse aut alii secuti essent, tantum opus, si unquam perfectum fuisset, certe inter paucorum annorum spatium non potuisse absolvi. Quid praeterea spectatur hac describendi ratione? Utrum, ut libri indoles innotescat, utque quid in universum contineat, appareat? Huic consilio brevioris descriptionem non minus sufficere censeo. An vero hoc spectatur, ut omnia memoratu digna et nondum cognita, quae libro aliquo contineantur, publici juris fiant et excerpta editionis locum suppleant? Hoc si spectatur, dubito an viri docti consilium, etiamsi in Catalogo exsequi posset, probaturi sint, quorum permultis integra editio cujuscumquemodi excerptis fere semper praeferenda videtur.

Neutram igitur Hamakeri rationem sequendam judicavit Wejersius, qui cum in edito Specimine, quod continetur libro secundo Commentariorum de Codd. Orient. Bibl. Leid., primo *Orientalium* volumini inserto, tum in paucis brevissimisque annotationibus Indici Reiskiano adscriptis (quarum tamen quae majoris sunt momenti jam fere omnes in primo illo *Orientalium* volumine editae sunt), nec auctorum vitas descripsit, nec quid singuli Codices contineant fuse indicavit, sed errores infinitos, in Heymanni Catalogo obvios, corrigere et unde orti essent explicare studuit. Fateor tale institutum mihi nunquam arrisisse. Quid enim nobis hoc saeculo cum Heymanno, toto saeculo antequam literae Arabicae in Europa serio excoli coepissent vivente, homine praeterea ingenio, judicio ac doctrina aequae destituto? Quos errores talis homo commiserit, aut quo modo in eos inciderit, sciri parum interest. Hoc constat: malum eum confecisse Catalogum, meliorem nobis esse conficiendum. Quid, quod tanta Weyersii erat religio, ut in libro primo (quo 18 tantum descripsit Codices, post editum Heymanni Catalogum Bibliothecae adjunctos) verba Abrahami Gronovii, ab anno 1741 ad 1774 Bibliothecae praefecti, ubique descripsit, viri, quamquam aliarum rerum peritissimi, harum literarum plane rudis. In ipso quoque Catalogo, quem editurus erat, eandem viam sequendam sibi proposuisse videtur Wejersius, hanc ob causam

duobus suis adiutoribus, Hoogvlieto Meursingioque, mandari ut singulos Codices inspicerent et in schedis noterent nibrem in Heymanni Catalogo librorum et auctor bene esse notati; quod si bene esset factum, quidquam addere, praeter Codicis primae et ultima verba, necesse non esse; sin vero error inopisisset, errorem esse notandum. Susceperunt hunc laborem adiutores, in ipsius Bibliothecae rebus, subsidiis quam maxime necessariis destituti; plerosque enim de historia literaria Codices, et vel ipsum Hádji-Khaliffae Lexicon bibliographicum, cujus exigua tantum pars tunc edita erat, quo tamen in Codicibus describendis nemo carere poterat, domi servabat Weijersius, studiorum suorum instrumenta. Hinc Catalogus, tenuis exilisque epitomes Hádji-Khaliffae (Cod. 1371) auxilio, ab adiutoribus confectus, ita comparatus est ut rarissime descriptionem exhibeat ex qua pateat scriptoris consilium, libri indoles, divisio caet.; utque difficultates, ubi reverá adsunt, raro solvat. Accedit quod adiutores non semper satis diligentes fuerunt. Hoc vero magis in Meursingium quam in Hoogvlietum dictum sit; quem tamen ipsum negligentiae culpam non semper effugisse ut paucis exemplis confirmem, afferam specimina, ex primis paginis Catalogi, Hoogvlieti labore conscripti, desumpta. Supra dixi, Codicem 11, fragmentum ex Ibno-'l-Khatfbi epistolis et Iter al-Abderfi continentem, jam a Golio, in secundo quem edidit Catalogo, satis bene, inepte vero deinde descriptum esse ab Heymanno, qui »Itinerarium quatuor sociorum» Codice illo contineri affirmat. Quid Hoogvlietus? Haec tantum: »Ab initio mutilus est; desinit in verba . . .»; tum ultima describit verba. Igitur nec Codicis argumentum explicuit, nec animadvertit duo diversa opera uno hoc Codice contineri, nec titulum nomenque auctoris secundi operis (in ipso Codice notatos) descripsit; verbo, nihil vidit. — Codex 30 primo loco continet opera quaedam poëtica et prosaïca Abu-Zaidi Abdorrahmán ibn-Jakhlafan (hujus Catalogi n. CCCCX¹), secundo *Nasîmo 'ç-çabâ* auctore Ibn-Habîb (hujus Cat. n. CCCXXX²). Fugit Hoogvlietum, duo haec esse opera; ex duobus unum effecit, cui

1) Novae edit. n. CCCCLXXIX, I p. 284. d. G.

2) Novae edit. n. CCCXCIX, I p. 305. d. G.

titulum secundi tribuit. — Codex 67 continet Ibn-Adhârii Historiam Africae et Hispaniae, cui titulus *al-Bajâno-'l-mogrib*, quem librum totum edidi. Hoogvlietus nihil praeter haec: »Ab initio et fine mutilus, quare et titulum et auctoris nomen ignoro." Ex istiusmodi notis qui Catalogum confecturus est nullo modo adjuvari, vel me tacente intelligitur. Ut brevi dicam, adiutorum labor, Hoogvlieti notis de Codicibus Turcicis exceptis, parvam mihi attulit utilitatem, laboremque meum raro sublevavit.

Alium laborem inchoavit Weijersius, ad Catalogum non prorsus necessarium, eumque Catalogo inserere volebat. »Novum Catalogum nostrum", ipsius Weijersii uter verbis ¹⁾, eam quoque utilitatem perfectissimum in modum afferre" cupiebat, »ut singuli libri ubinam alibi inveniuntur lectorum doceat"; adversaria igitur in Hâdjî-Khalifae Lexicon bibliographicum componere instituit, praeclarum et perenne patientiae et indefessi laboris monumentum, cui longe majus tempus quam ipsi Catalogo impendit. Excerpsit aliarum bibliothecarum catalogos cum editos tum manu scriptos, et »de quovis ad Arabum, Persarum et Turcarum litteras pertinente libro" annotavit »an reverâ eum in Europâ inveniri ex ullo unquam Indice comperisset, et, si comperisset, ubinam servaretur, uno tantum in loco an in pluribus, unumne in singulis Bibliothecis an plura exempla ²⁾;" editiones praeterea operum locosque, in anthologiis aliisque id genus libris editos, commemoravit. Postremum consilium a Catalogo alienum esse arbitror, et ejusmodi notas bibliothecis Orientalibus, qualem Zenkerus edidit, reservandas esse censeo. Alterum vero institutum utilissimum est, sed vereor ut nondum tempus sit illud faciendi; »perfectissimum" certe »in modum" tale institutum perfici non posse, docent doctorum editorum multa exempla, quibus, postquam Codices libri edendi summa cum cura conquiverant, saepe accidit ut, libro jam edito, Codicem antea incognitum aut in privata aut in publica bibliotheca asservari nuntiaretur. Provocare possum ad Cl^{um} Wüstenfeld, quem, ubi ante hos paucos menses celebratissimum

1) *Orient.* I, p. 308.

2) *Orient.* I, p. 305.

Ibn-Kotalbae opus ediderat, certiore fecit Cl^{us} Reinaud, in Bibl. Parisiensi asservari Codicem, de quo exteri certe nihil rescivissent, duobus fere annis ante in Syria comparatum; sed procece potius ad ipsum Weijersium, locos Ibn-Khacanis de Ibn-Zaidanis editurum et hanc ob causam Codice Gothano utentem, quum et ipsum, et vere etiam Hamakerum, lateret, duos Ibn-Ehacanis Codices in nostra exstare Bibliotheca; alterum exemplar Leidense (illudque pejoris notae) ei non »prius in manus pervenit, quam partes edendas jam ex Codice Gothano descripserat, et de plerisque repetito labore commentatus fuerat;” alterum vero, melius illud, opere jam edito invenit. Nonnunquam itaque nescientes an liber in ipsa nostra Bibliotheca adsit, de reliquis bibliothecis certi aliquid pronuntiare nos non posse, cum per se intelligitur, tum Weijersii docet exemplum; qui, quum extremis vitae temporibus cum Cl. Valeton at-Thaâlibi *Syntagma dictorum brevium et acutorum* ederet, opere jam absoluto a Cl. Gottwaldt nuncium accepit, Codicem hujus operis in Museo Asiatico Petropolitano asservari, »quem,” ait, »ante hos octo menses annotationem illam de Codice Parisiensi scribens, adhuc plane nesciebam exstare.” Quamdiu igitur probabiles omnium bibliothecarum, tam publicarum quam privatarum, catalogos non possidemus, sed contra excerpti sunt Catalogi, titulos Arabicos aut omittentes aut falso edentes, aliisque innumeris mendis laborantes, quales sunt Italicarum bibliothecarum, non tantum non »perfectissimum in modum” varia operis cujusdam exemplaria enumerari possunt, sed manca, imperfecta, et vitiis plena erit istiusmodi enumeratio, multaque continebit falsa et veritati contraria. Talem igitur laborem, utpote nostris temporibus nondum convenientem, non inchoassem; inchoatum vero, ne Weijersius tempus et oleum perdidisse videretur, continuandum censi. Excerpterat Vir Clarissimus Catalogos melioris notae, Gothanum, Bodleianum, Upsaliensem (cum illum qui anno 1705 prodiit, tum manu scriptum, a Tornbergio confectum¹⁾, Hammerianum, Catalogum Codicum Instituti Regii Neer-

1) Primis plagulis jam typis expressis, accepi novum Tornbergii Catalogum, quem in reliquis plagulis citavi.

landici, Schultensianum, Scheidianum, Catalogum Bibl. Doctissimi Lee, Dresdensum, Guelferbytanum, Gissensem, Hamakerianum, Lipsiensem, Tubingensem, Ambrosianum, Catalogos Codicum recentissimis temporibus in Bibliothecam cum Parisiensem tum Vindobonensem illatorum, a Flügelio confectos Annalibusque Vindob. insertos, Escorialensem et Catalogum Codicum Acad. Orient. Vindob. Ego excerpti Catalogum Nanianum, Laurentianum et Palatinum (coll. Hammeri *Lett.* VI), Vaticanum (coll. Hammeri *Lett.* III), Caes. Petropolitanum manu scriptum (coll. quatuor Frähnii scripturionibus), Rumänzovianum, Catal. Codd. Mus. Asiat. Petrop. manu scriptum, Caes. Vindobonensem (illum quem Hammerus anno 1820 edidit et Kzewuskyanum), Monacensem (ex Frankii libro (1814) et Flügeli Catalogo in *W. Jahrb.*, 47), Göttweihensem (in iisdem *Annal.* vol. 110), Ouseleyanum (hi Codd. nunc in Bibl. Bodl. servantur), Algeriensem et Catalogum Cidi Hammondæ, Neapolitanum (Hammeri *Lett.* II), Barberinum (ejusdem *Lett.* V), Bononiensem (ejusdem *Lett.* V), Mutinensem et Parmensem (ejusdem *Lett.* VIII), Mantuanum Vicentinum et Venetum (ejusdem *Lett.* IX), Havniensem manu scriptum, Erdmannianum (in *Dorpatæ Jahrb.* III) et Radcliffianum (ad calcem libri Fraseri c. t. *The History of Nadir Shah*, collato Indice Oxonii a me in ipsa illa Bibliotheca facto, in quo etiam Codices Saliani notati sunt). Reliquos libros, aut a Wejjersio aut a me excerptos, prætermitto; at restabant bene multi Catalogi excerpti, et inter hos rarissimi, quos, omni licet diligentia adhibita, videre mihi non contigit; quarundam præterea bibliothecarum ne Indicem quidem manu scriptum nancisci potui. Plures tamen catalogos excerptere potuissem, sed ingenue fateor, in hoc taedii pleno et immensum sibi tempus poscente labore defecisse mihi patientiam, et tantam nonnunquam obrepsisse somnolentiam, ut ab inceptis desistendum mihi esset. Singulis itaque Catalogi mei capitibus absolutis, percucurri nondum excerptos Catalogos, ratione tantum habita operum quae in capite, quod modo absolveram, descripseram, dedique quae inveni, bene mihi conscius, me in hac parte operis non omnia dedisse quae dari potuissent, quaeque tamen cum majori taedii tolerantia dari potuissent non tanta esse, quanta voluissem. Initium saltem

nunc factam est; alii dehinc meliores dabunt. Monendum mihi restat, me nonnullorum opusculorum in quavis fere Bibliotheca exstantium, exemplaria non enumerasse ¹⁾.

Ut igitur Catalogus tandem aliquando edi posset, praeter eandem istam, de qua dixi, exemplarium enumerationem, alia supervacua quae mihi videbantur omisi. Heymannianum et reliquos antiquiores Catalogos non curavi. Auctorum vitas operumve prolixiorum descriptionem raro dedi. Opera edita, aut jam satis bene ab aliis descripta, paucis tantum verbis commemoravi, libros citans in quibus uberior exstat descriptio, quo factum est ut nihil fere, jam ab aliis dictum, repetendum mihi fuerit. De editionibus locisque singulis editis nihil dixi; cuivis enim vel mediocriter docto talia plerumque nota sunt, jamque ab aliis sunt commemorata, nec ad Catalogum pertinere arbitror. Linguarum Orientalium peritis, versione facillime carentibus, scribens, locis quos descripsi versionem non addidi; scio quidem, alios, Arabice et Persice imperitos, sed bonarum literarum amantes, Catalogos interdum legere eo consilio ut literarum Orientalium historiam inde percipiant; hi vero a tali proposito magis dehortandi sunt quam ut eorum utilitati prospiciatur. Nam plerumque ex Catalogis harum literarum falsissimam sibi informant imaginem, iisque historiam literariam, ad omnium captum accommodatam, utiliorem fore arbitror. Externum Codicum habitum raro descripsi; etenim mihi, exteris bibliothecis visitanti, saepe accidit ut ex Catalogi descriptione prorsus falsam imaginem Codicis mihi formassem. Miror virorum doctorum diligentiam, qui vel tegumenta Codicum, accuratissime dicam an superstitiose, describant; sed laudibus bibliopegarum, aut Orientalium, aut (qui plerumque laudandi fuissent) Leidensium, celebrandis Catalogum inservire, ego certe nolui.

Satis igitur ducens annum quo quisque scriptor mortuus sit indicare, id studui ut, vera a falsis et suppositiciis discernens, de titulo et nomine auctoris certo constaret; qui labor, cum propter

1) Multos deinde catalogos excerpit Doct. Houtama et excerpere continuat. Idem sedulo fecisse Clar. W. Pertsch, Bibliothecae Gothanae praefectum, optimi ejus Catalogi unaquaque pagina testatur. d. G.

librariorum vel fraudem vel negligentiam, tum propter sitûs ac vetustatis injuriam, longus interdum et difficilis erat, et imprimis molestus ubi unus idemque Codex multa complectebatur fragmenta. Rei vero caput mihi visum est, ut, ubi hoc ex ipso titulo non satis pateret, quam accuratissime traderem, ipsius plerumque auctoris verbis usus, quid singuli Codices continerent, quid libri esset consilium, quae divisio. Scripturae genus semper indicavi si Codex caractere *neskhi* scriptus non erat; annum, quo Codex exaratus sit, annotare non neglexi.

Quod ad ordinem attinet, alium secutus sum quam cum Hamakero tum Weijersio sequendus visus est. Catalogorum, Heymanniano antiquiorum, scriptores descripserunt Codices eo ordine ut numerorum tantum, quibus in pluteis signati sint, rationem haberent. Heymannus secundum argumenta Codices ordinavit, et in fine cujusque articuli eum adjecit numerum quo Codex in pluteis signatus erat. Hamakerus¹⁾ et Weijersius²⁾ se in integro Catalogo Codicum seriem secuturos esse declaraverunt. Via est longe facilissima; quam si secutus fuisset, fortasse jam diu antea primum volumen edere potuissem, et effugissem periculum unum alterumve Codicem omittendi; quod facillime poterat ubi Catalogum secundum argumenta ordinarem et aliquoties mihi accidisse jam perspexi; quae vero omisi non, huic volumini jam adjungens Appendicem, commemorabo, sed Appendici, toto operi finito addendo, reservabo, ne plures sint Appendices utque omnia omissa uno tenore commemorari possint. Fateor quoque, Catalogum, secundum argumenta ordinatum, sua habere incommoda. Nam singulis opusculis, saepe fortuito, nonnunquam vero consulto uno volumine conjunctis, seorsum sua loca sunt assignanda, uniusque corporis membra inter se divulsa describenda. Nihilominus Catalogus, secundum Codicum seriem dispositus, longe majora incommoda habere mihi videtur; in ejusmodi enim Catalogo saepe accidit ut ejusdem operis Codices longo intervallo inter se remoti describantur, utque, liceat mihi hoc exemplo uti, librum, de astronomia

1) *Spec. Catal.*, Praef. p. v et vi.

2) *Orient.* I, p. 306 ann. a.

aut de arte medica agentem. sequatur statim fabula Milesia aut poëtici argumenti liber, liorumve de Dei attributis, lascivum opusculum de amore vinove. Omnia sic permiscantur; seria jocosis junguntur. A tali confusione abhorruim. Hanc praeterea utilitatem novum Catalogum afferre volebam, ut ex eo statim et uno obitu appareat, quinam de quovis argumento in Bibliotheca nostra existent libri, quot qualesque unius ejusdemque operis habeamus Codices, quibusnam Commentariis opera ipsa illustrata sint; verbo, ut uno tenore operis quam dicunt literaturam Catalogus ostenderet. Heymannianam seriem sequi non poteram, et quod infinitam librorum copiam non apto collocaverat loco, et quod post Heymanni tempora multi Codices Bibliothecae accesserant. Igitur secundum novam seriem Codices descripsi, ordinem secutus quem, rationi quam maxime consentaneum, excogitaverunt ipsi Moslimi, quemque hisce temporibus a nonnullis, Catalogum scribentibus, observatum esse laetamur. Pauca tamen mutavi; Codices v. g. de arte grammatica Lexicis, libros geographici argumenti Codicibus historicis, non postposui, ut facere solent Orientales, sed praemisi. In singulis denique capitibus ordinem chronologicum secutus sum. Nec tamen, Catalogum secundum argumenta ordinans, numerum mutavi quem Codices in pluteis gerunt; quo facto, qui Weijersii erat metus¹⁾, sine dubio magna confusio orta esset, ordoque quovis momento mutandus ubi novus accederet Codex; antiquos numeros servavi, numeris meis in parenthesi adjunctos. Eorum autem commodo qui hic Codicibus nostris utuntur et scire cupiunt ubinam in Catalogo singuli Codices descripti sint, prospicietur Indice, ultimo volumini adjungendo.

Monendum restat, Warneri scripta, quae bene multa hic habemus sed quae pretio, nostro certe tempore, carent, Appendici esse reservata, majoremque secundi voluminis partem, opera poëtica, geographica et historica (Arabica certe) complectentem, paucis interjectis mensibus prodituram.

Caeterum viros doctos enixe rogo ut hunc qualemcunque Catalogum benevole accipiant. Est enim labor, taedii interdum ple-

1) *Orient.* l. l.

nus, idemque saepe ingratus. Nam unum librum edituro et hinc omnes ingenii vires conferenti facillimum est, errores detegere in illius opere, cui permultos diversissimosque libros uno tenore describere injunctum erat.

Dabam Lugduni Batavorum, postidie Nonae Februae anni MDCCCLI.

R. F. A. Zoxy.

PRÆFATIO AD EDITIONEM ALTERAM.

Prologum Dozy, licet secus suasit Houtsma, redimprimendum curavi duplicem praesertim ob causam. Continet enim historiam Codicum Orientalium Leidensium et explicationem methodi quam Dozy catalogum scripturus sibi proposuit quamque successores ejus in munere omnes secuti sunt. Multa igitur hinc aut ipsis aut aliis verbis in novum prologum transferenda fuissent, si quidem hic et de historia et de methodo contineret quae oportet. Quo facto, haud scio an contra jus et fas Dozy magna merita in compositione hujus Catalogi quasi obscurarentur. Revera in eo prologo nonnulli errores sunt, quorum maximum — iniquum de Golio iudicium — ipse Dozy postea retractavit; porro quaedam aut brevius dici aut sine magno detrimento omitti possent. Ea verum libertate, qua Codicum descriptionem ubi opus visum est correxi, in hoc Prologo uti, non licere opinatus sum. Itaque dedi intactum, erroribus in annotationibus correctis. In hac igitur Praefatione ad editionem alteram historia Catalogi et Codicum Orientalium paucis mihi continuanda est.

Postquam Dozy duo Catalogi volumina ediderat, ad munus Academicum avocatus est. Provincia ejus mandata fuit Abrahamo Kuenen, qui historicos Persicos et Turcicos, libros de arithmetica, algebra et geometrica, et de astronomia, astrologia et calendario-graphia (exceptis Turcicis) vix aut descripserat aut inchoaverat, quum sua vice ad munus Academicum vocatus, anno 1856 officium Catalogi continuandi Petro de Jong relinquere debuit. Cui ego ann. 1858 adjunctus sum. Anno 1865 volumen tertium, anno post

quartum edidimus, quorum opera Arabica partim ego descripseram, reliqua simul cum libris Persicis et Turcicis de Jong, qui anno 1862 ediderat Catalogum Codicum Orientalium Bibliothecae Academiae Regiae Scientiarum, olim a Weijersio inchoatum. Solus deinde anno 1873 edidi volumen quintum; sextum, Indices continens et pauca addenda, anno 1877 dedit M. Th. Houtsma. Catalogum Codicum Hebraeorum anno 1858 ediderat M. Steinschneider.

Numerus Codicum, exceptis libris Hebraeis, anno 1851 erat 1636, nunc est 3100, quod augmentum constat imprimis libris Ironicis et Malaicis anno 1864 Delphis huc translatis, et collectione quam Schaikh Amin al-Madani anno 1883 Amstelodamum attulit vendiditque bibliopolae notissimo, hujus quoque Catalogi editori, E. J. Brill, a quo eam acquisivit nostra bibliotheca. Debemus magnificentum hoc incrementum liberalitati tum nobilis literarum fautoris, viri amplissimi, optime de patria meriti, tunc Regis Ministri, J. Heemskerck, tum duumvirorum qui bibliopolium Brillianum tenent, quique suae utilitatis immemores maluerunt patriae bibliothecae cedere libros quam accipere pretium majus ab extraneis propositum. Insuper multos emptione in variis auctionibus, multos donatione obtinuimus libros. Hic tantum de Codicibus Arabicis, Persicis, Turcicis breviter agam. Coempti sunt: 1637 e bibliotheca de Gayangos (1858); 1646—1678 e bibliotheca van Voorst (1859); 1679—1685 ex auctione Parisiis habita (1860); 1887—1892 e catalogo B. Quaritch (1865); 1893 ab E. J. Brill (1865); 1897—1900 e Catalogo K. F. Köhler (1867); 1959, 2018, 2021 ex auctione Millies (1870); 2063 sumptibus publicis Constantinopoli est exaratus; 2097, 2098, 2103, 2104 e bibliotheca T. Roorda (1874); 2223*, 2224* ex auctione Perron Parisiis (1876); 2227, 2228, 2271, 2272, 2274 Beiruti intercedente M. Hartmann; 2286—2290 in auctione M. Nijhoff (1881); 2363—3025 sunt collectio Amin; 3026—3034 ex auctione Dozy; 3040—3049 e libris A. Rutgers; 3051, 3052 in auctione Nijhoff (1885); 3074 Amstelodami (1887). Aliunde huc translatis sunt: 1686, 3070—3073 e Museo ethnographico; 1783—1785, 1885, 1886 e bibliotheca Instituti Indici olim Delphini; 2019, 2277 ex aliis pluteis Bibliothecae Leidensis; 2065—2092 e Bibliotheca Regia Hagana. Dono dati sunt: 1636 a Viro

Illustr. d'Ohsson; 1645 ab haeredibus J. Geel, olim bibliothecae praefecti; 1902, 1940, 1941 a Nob. T. Lyeklama & Nyeolt; 1905 a Doct. W. Fleete; 1924 a Nob. J. P. E. Prince; 1942—1951 oriundi e bibliotheca Schultensii a Rever. Koopmans van Goeteren; 2062, chartae W. H. Engelmann, a familia ejus; 2064, 3097 a me; 2190 a Nob. Pachlig; 2196 a Viris Clar. A. Socin et E. Frym; 2278 a Dozyo et me; 2279 et 2339 a Dozyo; 2336 a Nob. A. W. van Vooren; 2337 a Doct. T. Jentink; 3055—3057 a Clar. P. J. Voth.

Codices 3075—3096 hoc ipso anno 1888 devenerunt in Bibliothecam, missi ab haeredibus Viri Doct. S. J. E. Rau, anno superiore mortui, filii Sebaldi Fulc. Jo. Rau, qui anno calamitatis Leidensis 1807 Interpretis legati Warneriani erat. Non ignorat lector (v. Dozyi Prol. supra p. XVI et Houtsma l. c. p. 53) tres Codices pretiosos, nempe exemplar operis Ibn-abî-Oçaibiae, tomum priorem alterius exemplaris ejusdem et tomum priorem Classium Schâfîitarum auctore as-Sobkî anno 1817 in pluteis defuisse et conjecturam propositam esse probabilem, eos fuisse in domo Interpretis quum haec eversa est, et simul periisse. En cista Ravii aperta, prodierunt fugitivi cum aliis Codicibus et chartis, ea conditione qua octoginta annis ante summa festinantia maximo e periculo erepti fuerunt. Interpretis Rau prope finem anni 1807 diem obiit. Filius, qui in literis Latinis tabernaculum posuerat, — laudatur inter alia versio ejus Vergilii —, cistam nunquam apernisse videtur, sed pro chartis patris habuisse, quas ut post ipsius mortem in bibliotheca Leidensi collocarentur, haeredibus praecepit. Codices in ipsa calamitate aliquid damni perpessi sunt, sed quale pro maxima parte restitui potuit. Praeter tres Codices amissos, cista inter alia continebat Descriptionem Syriae auctore Ibn-Schaddâd et partem Mokaffâi ex autographo Maqrizîi.

Houtsma fere paratum habebat Catalogum Codicum e collectione Amin, quum comperimus exemplaria Catalogi fere omnia divendita esse. Suscepimus igitur novam ejus editionem, in quam simul Codicum qui post annum 1877, quo ultima pars Catalogi prodit, accesserunt descriptio reciperetur. Quam editionem non simplicem iterationem prioris esse posse, jam dudum inter nos constabat.

Nam — ut hoc tantum memorem — postquam duo volumina Catalogi a Dozyo edita sunt, multa prodierunt subsidia bibliographica quorum ope quaestiones apertae solvi, errores corrigi possent. Quae enumerare hujus loci non est. Sufficit nominasse Flügel, Rien, Pertsch, quibus quid in bibliographia Arabica, Persica, Turcica debeamus, nemo harum rerum peritus ignorat. Laborem ita dividimus, ut Houtsma aliarum bibliothecarum catalogos conferret et inquireret quid hinc fructus ad nostrum meliorem faciendum potuisset; ut insereret descriptionem Codicum recens acquisiteorum a se factam et corrigeret aut rescriberet quaecumque corrigenda aut rescribenda inveniret; denique ut bonam curam impenderet dispositioni Catalogi. Mihi reservavi provinciam revidendi omnia; itaque omnes titulos, omnes locos laudatos denno diligenter examinavi, passim descriptioni datae aliam substitui. In hac re ita egimus, ut omnia recte dicta conservaverimus intacta (nisi quod nonnulla excerpta ut locos de vita Ibu-Zaiduni omiserimus), corrigenda tacite emendaverimus. Unde factum est ut pronomen primae personae plus semel ex editione priora in hanc transierit; ceterum nunc ad Houtsma, nunc ad me referendum est; ad utram, parum attinet; nam ut laborem conjunctim fecimus, sic quoque laus, siquidem aliquantulam meruimus, et culpa, si imperfectius evenit opus quam voluimus, ambobus contingit ¹).

Dozyi methodum excellentissimum in describendo continuavimus, sed in dispositione nonnulla mutavimus. Sic in editione priora grammatici lexicographis praemissi fuerant, nos postposuimus, qui a grammaticis aptius videbatur quam a lexicographis transire ad rem metricam tractandam. Praecipua innovatio nostra est, quod Codices in tres partes dividimus, quarum prima Hebraeos, Samaritanos, Syriacos, Copticos, Aethiopicos, Armeniacos, secunda

1) E libris quorum nunc primum titulos aut auctoris nomen deteximus laudare juvat ex hoc primo volumine: C (Cod. 592 (1)) p. 62; CLXXXIV (Cod. 1022) p. 103; CCXVII (Cod. 740 (3)) p. 118; CCCLI (Cod. 670) p. 195; CCCLXXX (Cod. 442 (1)) p. 218; CCCCLXIV (Cod. 178 (1)) p. 276; DXIX (Cod. 861 (2)) p. 324; DLXXI (Cod. 824 (8)) p. 350; DCCXXXVII (Cod. 1545 (3)) p. 460; ex iis quorum diversam descriptionem dedimus: V (Codd. 2, 19, 273) p. 5 seqq.; CCCCLXXXV (Cod. 495) p. 297 seqq.; DXI (Cod. 1) p. 313 seqq.; DXXI (Cod. 197) p. 325 seqq.

Arabicos, Persicos, Turcicos, tertia Sanscriticos, Javanicos, Mallicos etc. continet. Deinde non ut antea libris Arabicis in singulis capitibus subiungimus Persicos et Turcicos, sed primum Codicum Arabicorum, deinde separate volumine librorum Persicorum et Turcicorum descriptionem dabimus. In Catalogo Codicum Arabicorum ex his tantum versiones operum Arabicorum receptae sunt. Haec quoque manuscripta quae opera virorum doctorum occidentalis de rebus Orientis continent, separate capite ad eandem Catalogi tractabuntur.

Descriptio Codicum ad partem primam referendorum in appendice ad Catalogum Codicum Hebraeorum sequetur. Catalogus Codicum tertiae partis praeparatur.

Die 18 mensis Octobris 1888.

M. J. DE GOEJE.

A D D E N D A.

P. 39 l. 6 seqq. Haec lacuna in opere Ibn-Doraidi completa est nuper e Codice Constantinopolitano (Köprülü), intercedente Viri doct. H. Gies.

P. 89 l. 7 pro 501 (a) lege 642 (2) coll. supra p. XV ann. 1.

P. 140 l. 4 Certum est hoc Codice non contineri Commentarium Ibn-Waçili ut mihi patuit collato exemplari hujus operis quod possidet E. J. Brill (H.).

P. 160 l. 21 pro 518 lege 538.

P. 235 l. 4 a f. Auctorem hujus disputationis circa annum 836 scripsisse, diversam itaque esse ab eo 'Alâ-ad-din quem Ibn-Habib anno 772 obiisse auctor est, docuimus p. 468 l. 7-12.